MASTER
NEGATIVE
NO. 93-81296-5

AUTHOR:

CALLIMACHUS

TITLE:

DISSERTATIO DE LOCO CALLIMACHEI HYMNI...

PLACE:

LIPSIAE

DATE:

[1847]

Master Negative #

93-81296-5

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

88C13 Callimachus
DD

... Dissertatio de loco Callimachei hymni in Delum et quibusdam epigrammatis. Lipsiae, literis Staritzii [1847]
15 p. 23 cm.

Rector's address, Leipzig, 1847.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB
DATE FILMED: 4-9-93 INITIALS Susan
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6

Dissertatio de loco [illegible]
[illegible] Deum et [illegible]

RECTOR

COMMILITONIBVS

CERTAMINA PROPOSITIS PRAEMIIS

IN ANNVM MDCCCXLVII

INDICIT.

Praemissa est dissertatio de loco Callimachei hymni in Delum et quibusdam epigrammatis.

LIPSIAE

LITERIS STARITZII, TYPOGR. UNIVERSIT.

Artis criticae pars ea, quae in emendatione veterum scriptorum versatur, nunc evidentiam habet, nunc in sola probabilitate consistit. Id in ea maxime cadit, quae ita depravata sunt, ut non videantur restitui posse. Quo magis disciplina quadam in his opus est critico, ne aut non corrigat, quod correctione indiget, aut etiam quae sana sunt mutando corrumpat. Debet autem primum hoc esse, ut indagetur quid sit corruptum. Aliter enim verendum est ne vitiosa relinquantur, integra autem vitientur. Deinde curandum, ne aliquid tantum corrigatur. In quo multi peccant, satis habentes, si sibi partem vitii sustulisse videantur. Nam saepe accidit, ut quod per se rectum et bonum est, si cum ceteris componatur, falsum aut ineptum esse intelligatur. Eadem caussa neque inconsiderate probandum, si quid ab alio, praesertim claro viro, prolatum est, nec temere repudiandum, si quid etiam ab ignobili aut imperito homine commendatum non statim assensionem extorqueat. Porro cogitandum est diligentiam aliquando negligentiam esse. Nam etiam modi neglectio, quem diligentia habere debet, negligentia est. Denique omnium pessimum est temere hariolari, emendationemque esse putare, si quidquid statim in mentem venerit posueris. Volo haec insigni exemplo ostendere, non quo credam emendari posse, quae ipse confitear non posse in integrum restitui, sed ut monstrem qua cautione opus sit, si quis vix sanabilia tentare instituat.

Est locus Callimachi in hymno Deli vexatissimus, in quo nuper Alphonsus Heckerus et cuius ad hunc epistola inserta est Schneidewini Philologo fasc. II. Otto Schneiderus operam posuerunt, ambo quidem docte illi acuteque disputantes, sed tamen ut, quum omnem illius loci rationem non videantur perspexisse, non animadverterint omnia, quae in eo non recte scripta esse accuratior consideratio doceat. Mirabilia captans Callimachus, qui eruditione magis quam ingenio ad poesin nato excelleret, Apollinem in utero matris vaticinantem fecit de Gallis, qui duce Brenno

in Phocidem templi Delphici diripiendi caussa sint irrupturi. Ea a v. 171. His verbis descripta habemus:

καί νύ ποτε ξυνός τις ἐλεύσεται ἄμμιν ἄεθλος
ὕστερον, ὁππότ᾽ ἂν οἱ μὲν ἐφ᾽ Ἑλλήνεσσι μάχαιραν
βαρβαρικὴν καὶ Κελτὸν ἀναστήσαντες Ἄρηα
ὀψίγονοι Τιτῆνες ἀφ᾽ ἑσπέρου ἐσχατόωντος
ῥώσωνται, νιφάδεσσιν ἐοικότες ἢ ἰσάριθμοι
τείρεσιν, ἡνίκα πλεῖστα κατ᾽ ἠέρα βουκολέονται·
φρούρια καὶ [κῶμαι Λοκρῶν καὶ Δελφίδες ἄκραι,]
καὶ πεδία Κρισαῖα καὶ ἤπειροι [ο φάραγγες]
ἀμφιπεριστείνωνται, ἴδωσι δὲ πίονα καρπὸν
γείτονος αἰθομένοιο· καὶ οὐκ ἔτι μοῦνον ἀκουῇ,
ἀλλ᾽ ἤδη περὶ νηὸν ἀπαυγάζοιντο φάλαγγας
δυσμενέων· ἤδη δὲ περὶ τριπόδεσσιν ἐμεῖο
φάσγανα καὶ ζωστῆρας ἀναιδέας, ἐχθομένας τε
ἀσπίδας, αἳ Γαλάτῃσι κακὴν ὁδὸν ἄφρονι φύλῳ
στήσονται· τέων αἱ μὲν ἐμοὶ γέρας, αἱ δ᾽ ἐπὶ Νείλῳ,
ἐν πυρὶ τοὺς φορέοντας ἀποπνεύσαντας ἰδοῦσαι,
κείσονται, βασιλῆος ἀέθλια πολλὰ καμόντος
ἐσσόμεναι· Πτολεμαῖε, τά τοι μαντήϊα φαίνω.

Uncinis inclusa, quoniam in antiquioribus libris desunt, supplementa esse putantur Marci Musuri: estque id sane veri simile. Lacunosus ergo fuit antiquus ille codex, ex quo nostri libri derivati sunt, ut supplementis istis non plus quam coniecturis tribuendum sit. Nunc Heckerus, ut etiam quae non ad rem pertinent attingam, dum hos versus tractat, nescio quo modo, quum p. 74. ad *Κελτὸν Ἄρηα* similia quaedam compararet, in animum induxit Martis nomen latere in illo Callimachi versu, qui in Etymologico M. p. 154, 8. sic scriptus exstat:

δειλαίοις Ἀσινεῦσιν ἐπὶ τριπτῆρες ἁρπάσας.

In quo versu quum summus criticus R. Bentleius nihil se praestare posse fassus sit, magnae audaciae erat coniecturam proferre huiusmodi,

δειλαίοις Ἀσινεῦσιν ἐπιχρίμπτεσκεν Ἄρηα,

quae et longius a tradita scriptura recederet, et verbum praeberet frequentativum, cui hic non videtur locus esse. Sermo est enim, ut et Etymologicum et scholiastes Apollonii Rhodii ad I. 1216. narrant, de Dryopibus, qui ab Hercule Delphis pulsi, quod amplius nocere non potuerint, *Ἀσινεῖς* fuerint appellati. Verum viderat, sed male interpretatus erat Sylburgius:

δειλαίοις Ἀσινεῦσιν ἐπιτριπτῆρ᾽ ἐσαράξας.

Non magis admitti potest, quod eadem occasione in Bionis epithalamio Achillis et Deidamiae v. 14. de Graecis Troiam petituris scriptum, quorum nemo domi manserit *φέρων δισὶν ἀνὰν ἄρηα*, in *φέρων δεισήνορ᾽ Ἄρηα* mutari voluit. Apertum est enim, neminem domi mansisse idem esse atque unumquemque profectum domo esse, ut non dubitandum sit quin scripserit Bio *φέρων δύστανον ἄρηα*. Et *δύστηνον* coniecisse Bentleium adnotavit Maltby ad Morelli Thesaurum p. 1145.

Accedo ad Callimachum. In v. 177.

φρούρια καὶ κῶμαι Λυκρῶν καὶ Δελφίδες ἄκραι,

(sumam enim genuinum esse) mota est dubitatio de tribus spondeis, quos Callimachus non posuerit continuos nisi in versus initio sexies. Eorum exemplorum unum eripuit Schneiderus p. 261. scite de hac re disputans, sed ut in simili causa p. 266. sibi non constitisse videatur, quum hunc versum,

νίωνοὶ πίνουσι Λυκαονίης ἄρκτοιο,

propterea corrigi vellet, quod Callimachus versus spondiacos non terminaret vocabulo trisyllabo. Hoc est illius, quam dicebam modum excedere, diligentiae. Sane quidam recentiorum poetarum quas sibi leges numerorum fecerant, cum anxietate quadam observarunt: verum iniuriam facimus melioribus eorum, si eos putamus ut pueros ferulam magistri metuentes, non ausos esse praecepta migrare, si aures suaderent aliaeve idoneae caussae invitarent, ut nominum propriorum a communi lege exemptio aut formularum quarumdam antiqua auctoritate stabilitus usus. Quare etiam versus 39. in hymno Iovis,

πρωτίστη γενεῆφι μετὰ Στύγα τε Φιλύρην τε

non est propter insolentiorem productionem copulae pro vitioso habendus. Nec propter spondeos Naekio non assentiri debebat Heckerus p. 76. haec verba, quae in scholiis ad Iliad. V. 422. et Etymologico M. p. 547, 6. leguntur, *ἧτ᾽ ἄκρην θῖνα Γλαυκώπιον ἵζει* ad Callimachum referenti, quum nesciamus an versus iste talis fuerit:

ἧτ᾽ ἄκρην παρὰ θῖνα θεὰ Γλαυκώπιον ἵζει.

Aliter restitutio tentata est in Thesauro Parisino v. *Γλαυκώπιον*. Illum quidem, a quo profectus sum, Musuri versum Callimachus non fecisset, non propter tres spondeos, sed quod unus eorum iusto levior est. Quod si Musurus verum est coniectando assecutus, sic scripserat Callimachus:

φρούρια καὶ κῶμαί τε Λοκρῶν καὶ Δελφίδες ἄκραι.

Sed si sic scripsit, necessario aut statuendum est alium versum ante hunc

interisse, quia copula deest, qua haec cum praegresso *ὁπότ᾽ ἂν* coniungi debebant, aut delendum esse totum versum, quod suasit Schneiderus. Probarem hoc, si veri simile videretur. At etsi non est hic versus in Mss. Ambrosianis, tamen pro eo relictum est vacuum spatium. Et quum in aliis non Musuri supplementa habentibus libris *φρούρια* et *φρούρια καὶ* reliquum sit, indicia exstant minime dubia, quae aliquem hic versum adfuisse confirment. Iam quid sibi volunt ista *φρούρια*? quaenam ista castella sunt? aut quid omnino opus est castellis? Videamus vero quae praecedunt:

τείρεσιν, ἡνίκα πλεῖστα κατ᾽ ἠέρα βουκολέονται.

Bene perspexit Schneiderus, parum apte *ἠέρα* memorari, ubi *αἰθέρα* dictum oportebat. Est vero etiam aliud offensui. Nam etsi *πλεῖστα* referri ad *τείρεσιν* potest, tamen insuave est remitti lectorem vel auditorem ad praegressum nomen, ubi concinnitas et elegantia orationis potius novum addi nomen postulabat. Id nomen sumamus *φρούρια* esse. Tum quae sequitur copula iustum narrationi nexum restituet, neque iam opus erit ut ante *φρούρια* versus deesse credatur. At stellas *φρούρια* dici, eaque *κατ᾽ ἠέρα βουκολούμενα*, vix in poeta dithyrambico ferremus. Quare credibilius videtur *φρούρια* ortum esse ex obscurata alius vocabuli scriptura. Optime omnia procedent, si putabimus scriptum fuisse:

ἡνίκα πλεῖστα κατήορα βουκολέονται
φέγγεα.

Vituperari hanc coniecturam non posse intelligo: veram praestare in tanta hymni depravatione non ausim.

Pergamus, consideremusque versum 178.

καὶ πεδία Κρισαῖα καὶ ἠπείροιο φάραγγες
ἀμφιπεριστείνωνται.

Φάραγγες Musuri supplementum videtur, pro quo in quibusdam libris *πόληες* est. Unus liber, qui videtur esse editio Veneta a. 1555. hoc verbo *ἠπείροιο* finire versum dicitur. Quod a Fr. Thierschio propositum Heckerus probavit, *Ἠπείροιο μελαίνης*, certo non scripsit Callimachus. Nam et longissime a Delphis distat Epirus, ad quam ne pervenerunt quidem Galli, nec, si mentio eius fieri potuisset, inutile epitheton adiecisset poeta. Alia non multo probabilior explicatio inventa est a Schneidero, qui *ἠπείροιο φάραγγες* tenens, Crisae, ut loco ad mare sito, *ἤπειρον* ut *μεσόγαιαν* opponi putavit. Nam quae firmandae huic interpretationi affert Dionysii periegetae verba v. 876. 904. 1085.

αἱ μὲν ἐν ἠπείρῳ, αἱ δ᾽ αὐτῆς ἄγχι θαλάσσης·

οἱ μὲν ἐν ἠπείρῳ — οἱ δ᾽ ἁλὸς ἐγγὺς ἐόντες·
οἱ μὲν ὑπειράλιοι, τοὶ δ᾽ ἔνδοθεν ἠπειρῶται.

aliosque similes locos, eorum nulla ad probandum vis est, quia in iis aperte loca ad mare sita a remotis a mari distinguuntur, campi autem Crisaei quum nominantur, campos, non littus, eoque nihil quod diversum sit ab eo, quod *ἤπειρος* vocatur, nominari videmus. Quid quod ne credibile quidem est, poetam ubique eruditionis ostentandae studiosum tam infiniti significatus nomen ponere, quam certum illius regionis locum nominare maluisse. Habebat autem in promptu, si scriberet *καὶ ἄγκεα Παρνησσοῖο.* Nam quod additum est verbum *ἀμφιπεριστείνωνται,* vix erit qui de gementibus locis, et non, quo ducit numerosi exercitus descriptio, de oppletis conferta multitudine hostium dictum esse intelligat. Ceterum Heckerus, quoniam coniunctivi *ἀμφιπτριστείνωνται* et *ἴδωσι* cum *ὁππότ᾽ ἂν* coniungi non possint, recepto ex melioribus libris indicativo *ἀμφιπεριστείνονται,* sic scribendum coniecit:

καὶ πεδία Κρισαῖα καὶ Ἠπείροιο μελαίνης
ἀμφιπεριστείνονται, ἴδωσ᾽ ὅτε πίονα καρπὸν
γείτονος αἰθομένοιο,

in quo ad *γείτονος αἰθομένοιο* e praecedentibus repetendum sit *ἀγροῦ* aut *πεδίου.* At neque impedit quidquam quominus uterque coniunctivus ex *ὁπότ᾽ ἂν* pendeat, neque *ἴδωσ᾽ ὅτε* aut scriptum esse a poeta, aut si scriptum esset, in *ἴδωσι δὲ* mutatum credi potest, denique qui *καρπὸν γείτονος* dicit, cuivis videbitur non agri aut campi, sed hominis vicini fructus dicere. Quod autem vult nova periodo per indicativum praesentis futura praedici, ne hoc quidem accipi potest, quia, si isto modo loqui voluisset Callimachus, verba haec non per *καὶ*, sed per *δὲ* adnectere debebat. Itaque recte dissensit Schneiderus, qui tamen quum sibi persuaderet Callimachum scripsisse

ἰδῶσι δὲ πίονα καρπὸν
γείτονες αἰθὸν ἐμεῖο,

non videtur cogitasse *αἰθὸν* non ardentem, sed fuscum significare, *ἰδυῖα* autem si usitatum fuit, non continuo etiam *ἰδῶσι* pro *εἰδῶσι* usurpatum censeri posse. Quod si servandum est *αἰθομένοιο*, inepte autem dicuntur nescio qui videre fruges ardentis vicini, illud fortasse recte dixisse videatur Schneiderus, scribendum esse *γείτονες*: a quo si profectus simul ea quoque quae praecedunt et sequuntur attentius contemplatus esset, facile deprehendisset, quae et ipsum et alios latuerunt. Nam quid tandem ardet? Templum Apollinis non esse incensum et versus 182. seqq. ostendunt, et

quae de invasione illa Gallorum explicatissime Pausanias et Iustinus scripserunt. Atqui quid arserit dicendum erat necessario. Non est tamen dictum, nec locus apparet, ubi dici potuerit. Fruges enim ardere dici, unde Valckenarius *αἰθόμενον* et Schneiderus *αἰθὸν* coniecerunt, quum ob alias caussas, tum propterca displicere debet, quod aedes potius et vici dicendi erant incensi esse. Mittamus ergo fruges, sive quis illas segetes sive fructus arborum esse velit. Non videtur enim dubitandum esse, quin doctus poeta, ut tantisper *γείτονες* suscipiam, scripserit,

ἴδωσι δὲ πίονα καπνὸν
γείτονες αἰθομένοιο —

fortasse non immemor Aeschyli versuum in Agmemnone 792.

καπνῷ δ' ἁλοῦσα νῦν ἔτ' εὔσημος πόλις.
ἄτης θύελλαι ζῶσι· συνθνήσκουσα δὲ
σποδὸς προπέμπει πίονας πλούτου πνοάς.

Post *αἰθομένοιο* quid scriptum fuerit nescimus, nisi fuisse credibile est *αἰθομένοιο πυρός*: quamquam quis contendat non potuisse huiusmodi quid dici, *ἴδωσι δὲ πίονα καπνὸν γείτονος αἰθομένοιο πρὸς οὐρανὸν ἀΐσσοντα τείχεος* vel *ἄστεος*: minore certe audacia fumum cernere vici et montes dicuntur, quam scuta morientes milites v. 186. Interisse plus uno versu dubitare non sinit oratio duplici in leges grammaticas peccato vitiosa, quorum alterum, quod est in optativo coniunctivi vicem tenente tolli non potest; alterum, quod in omissa *ἂν* particula est, removendum sit necne iudicari posset, si haberemus quae praecesserunt. Nam etsi rarum est *οὔ κε* pro *οὐκ ἄν*, invenitur tamen, ut apud Aratum v. 460. ubi quum plerique libri *οὐδέτι* vel *οὐκέτι* habeant, codex Barberinus (v. Grauertum in Museo Rhen. 1827. I. 4. p. 341) et scholiastes praebent *οὔ κ' ἔτι*. Reponendum pro *οὐκ* censebat Schaeferus in Apollonidae epigrammatae 3. de quo dixi in Opusc. vol. IV. p. 370.

εἰ τοιόςδε Λέων λάχεν ἀντίος Ἡρακλῆϊ,
οὔ κ' ἦν Ἀλκείδεω τοῦτο τὸ δωδέκατον.

Aristarchum *οὔ κεν* et *οὐκ ἄν*, prouti vel *α* vel *ε* sequeretur, probasse ex scholiis ad Iliad. XII. 465. XIII. 289. cognoscitur. Sic XIV. 91. legitur:

μῦθον, ὃν οὔ κεν ἀνήρ γε διὰ στόμα πάμπαν ἄγοιτο.

Iam igitur, indicata lacuna, et istud *αἰθομένοιο* vindicatum est et liberatus Callimachus gravi soloecismo. Exspectandus nunc aliquis Musurus, qui expleat quae interierunt.

Verum non licet in his consistere: nam dubitationi saltem relictus est locus in his quae sequuntur:

ἤδη δὲ περὶ τριπόδεσσιν ἐμεῖο
φάσγανα καὶ ζωστῆρας ἀναιδεάς, ἐχθομένας τε
ἀσπίδας, αἳ Γαλάτῃσι κακὴν ὁδὸν ἄφρονι φύλῳ
στήσονται.

Recte quidem accusativi, quoniam *ἤδη* repetitum est, a praecedente verbo *ἀπαυγάζοιντο* reguntur, ut non opus sit novo verbo, sed insolentius dictum est *αἳ στήσονται κακὴν ὁδόν*, quod simplicius diceretur *θήσουσιν*. Videtur tamen defendi posse. Deinde haud valde placent *Γαλάτῃσι* et *ἄφρονι φύλῳ* coniuncta, quorum altero libentius careremus. Accedit quod *Γαλάτῃσι* suspectum videri potest, si, ut Spanhemius monuit, primus ex antiquioribus putandus est Callimachus illa esse gentis appellatione usus. Pausanias enim I. 3. extremo scribit: *ὀψὲ δέ ποτε αὐτοὺς καλεῖσθαι Γαλάτας ἐξενίκησε· Κελτοὶ γὰρ κατά τε σφᾶς τὸ ἀρχαῖον καὶ παρὰ τοῖς ἄλλοις ὠνομάζοντο.* Quamquam his opposuit Siebelis epigrammata ab ipso Pausania I. 13, 3. X. 21. 5. allata, quae brevi post illam Gallorum invasionem scripta esse videantur. Itaque nihil quidem cogit scripturam minus elegantem, sed vacuam vitio mutare: verum tamen suspicari licebit aptiorem futuram fuisse hoc modo conformatam:

αἳ Γαλάτῃσι κακὴν ὁδὸν ἄφρονι τύφῳ
στήσονται,

ut propter stolidam superbiam, qua Galli se templo dei potituros sperassent, funesta iis scuta sua fuisse dicantur. Nihil enim illi quo corpora tegerent quam scuta habebant, de qua re Pausanias scribit X. 21, 2. maximeque nocte illa, quae iis perniciosissimam cladem attulit, terrae motu, grandine, subitoque insuper terrore consternati, quum in tenebris sua scuta ab hostium clipeis distinguere non possent, ipsi se invicem contrucidarunt, ut idem scriptor X. 23, 7. 8. narrat.

Denique v. 185. *τέων*, quod scholiastes *ὧντινων* interpretatur, ferendum quidem fortasse est in poeta Alexandrino, quando illi Homericis *ἑῆς* Iliad. XVI. 208. et *τάων* VIII. 156. ita abusi videntur, ut etiam *τέων* pro *ὧν* dicerent: quod fecit Nicander Alex. 2.

εἰ καὶ μὴ σύγκληρα κατ' Ἀσίδα τείχεα δῆμοι
τύρσεσιν ἐστήσαντο, τέων ἀνεδέγμεθα βλάστας,

notatus a scholiasta his verbis: *τὸ δὲ τέων οὐκ ὀρθῶς κεῖται· σημαίνει*

γὰρ τὸ τίνων· Ὅμηρος· τέων δ' ἒξ ἐσσὶ τοκήων: βούλεται δὲ λέγειν ὧν. Callimachum certe vellemus demonstrativum pronomen *τῶν* posuisse.

Iam si summam ex his quae dicta sunt colligimus, nihil sumus aliud assecuti, quam ut cognitis vitiis nec probemus quae probari nequeunt, neque corrigere audeamus quae quo modo scripta fuerint nescimus. Non sane multum hoc est, sed est tamen aliquid. Nam aeque perversum est conari facere quod facere nequeas, quam quod debueris facere non fecisse.

Adiungam his duo epigrammata similiter ut isti Callimachi versus sunt et lacunosa et mendosa, quae nuper Ludov. Rossius in altero fasciculo primi Hellenicorum voluminis edidit p. 97. et 108. Eorum in primo, quod in Isthmo inventum est, tria apographa conspirare dicuntur in hanc scripturam; integram autem esse inscriptionem ex ipsa lapidis forma cognosci:

ΘΕΥΔΟΤΑΑ...ΗΡΣΕ.–ᴗΕΣΤΟΔΕΔΑΚΡΥ Λ.ΩΣΓΑΡ
ΑΡΠΑΞΑΣΣΑΙΔΑΣΣΑΝΕΜΑΡΑΝΕΝΑΚΜΑΝ

Quod alias commodum integraturo, hic incommodum est, brevitas in vix dubia sententia. Nam quis non statim ut haec adspexerit scriptum putabit: *Θευδότα, ἁ μάτηρ σε... ἐς τόδε δάκρυ?* Haerebit vero, si ex his sententiam quae apta sit extundere volet, quoque magis consideraverit, eo magis ludificatus non recte pictas esse litterarum quae in lapide sunt reliquias existimabit. Quod si tamen his quae tradita sunt vestigiis ingrediendum est, proxime hoc opinor accedet:

Θευδότα, ἁ μάτηρ σ' ἔτεκ' ἐς πολὺ δάκρυ· ἄφνως γὰρ
ἁρπάξας σ' Ἀΐδας σὰν ἐμάρανεν ἀκμάν.

De postremis hexametri verbis dubitari non potest, habemusque eadem in epigrammate appendicis Anthologiae Palatinae 220. sive incertorum poetarum in Analectis Brunckii 710.

λαΐνεος στήλη με περὶξ ἔχει· ἐκ δέ με παστῶν
νύμφην κἀκ θαλάμων ἥρπασ' ἄφνως Ἀΐδας,
Πόλλαν, λυγρὰ γονεῦσι λιπὼν μνημήϊα τέκνου.

Illud vero, *ἁ μάτηρ σ' ἔτεκ' ἐς πολὺ δάκρυ*, si cui forte mirum videbitur, rem afferam multo magis mirabilem. Etenim quasi gemini fuerint haec Theodota et nescio qui Theodotus, simillimum etiam sententia et verbis in istum Theodotum exstat epigramma Theodoridae in Anthologia Palatina VII. 527.

Θεύδοτε, κηδεμόνων μέγα δάκρυον, οἵ σε θανόντα
κώκυσαν, μέλεον πυρσὸν ἀναπτόμενοι,

αἰνόλινε τρισάωρε· σὺ δ' ἀντὶ γάμου τε καὶ ἥβης
κάλλιπες ἡδίστῃ μητρὶ γόους καὶ ἄχη.

Alterum epigramma, Rhodi in basi inventum, cui statua Xenophanti cuiusdam imposita fuerat, ab Hegenborgio parum accurate descriptum accepit Rossius. Statuam fecerat Timocharis Eleuthernaeus, qui etiam ex alia inscriptione in Corp. Inscr. T. II. p. 1098. n. 2491. b. innotuit. Eam Boeckhius ab Radulpho Rochetto accepit, qui eam commemoravit etiam in epistola ad Schornium p. 446. et in Quaestionibus de historia artis p. 146. priore loco observans formam litterarum esse eam, quae sub Romanis usitata fuerit. Id cur adnotandum duxerim infra apparebit. Statuam qui ponendam curaverint titulus superpositus inscriptioni ex his litteris coniiciendum relinquit... *ΓΙΔΕΙΩΝΚΟΙΝΟΝ*, quas Rossius interpretatur *τὸ Ἐρατιδείων κοινόν.* Epigramma Hegenborgius sic exhibuit:

ΛΟΙΣΟΥΚΕΝΕΑΜΟΧΘΩΝΑΡΙΣΕΡΕΑΔΕΧΕΙΡΟΝ
ΩΜΑΣΝΥΘΩΝΠΟΛΛΟΝΑΦΑΥΡΟΤΕΡΑ
ΑΓΕΣΤΡΑΤΟΥΥΙΟΣΕΝΑΣΤΟΙΣΙΠΞΕΝΟΦΑΝΤΟΣ
ΞΕΙΝΟΙΣΑΡΕΤΑΣΑΞΙΑΠΟΛΛΕΚΑΜΕ
ΑΝΤΙΚΑΙΟΙΤΑΥΤΑΝΝΟΣΤΟΥΧΑΡΙΝΕΙΚΟΝΑΘΕΝΤΕΣ
ΑΥΤΑΚΑΙΕΥΚΛΕΙΝΓΡΑΜΜΑΤΑΠΙΕΡΙΔΩΝ

Primi versus ultima verba sine dubio recte sic restituit Rossius: *μόχθων χάρις, ἔργα δὲ χειρῶν*; item *ταῦτα* v. 6. De ceteris aliter sentio. Ex primo disticho discimus Xenophantum non corporis viribus et bellica fortitudine, sed prudentia et eloquentia nobilem fuisse: quibus artibus quum multa fecisse dicatur *ἀρετᾶς ἄξια*, non videtur fecisse dici, quae digna essent eius virtute, sed quae ei existimationem et honorem virtutis compararent, de qua vocabuli significatione quum alii scripserunt, tum ego ad Sophoclis Philoctetae v. 1420. Sed quid hoc est, quod statua ei posita dicitur *νόστου χάριν?* quod tam mirum est, ut incredibile videri debeat. Illud enim non puto cuiquam in mentem venturum, *νόστον* significare iucunditatem, ut Eustathius scripsit his verbis p. 1383, 40. *οἱ δὲ μεθ' Ὅμηρον καὶ βρῶμα φασὶ νόστιμον, ὡς καὶ ἀλλαχοῦ δηλοῦται· καὶ νόστον δὲ τὴν ἡδύτητα, διὰ τὸ ἡδὺ τοῦ Ὁμηρικοῦ νόστου· ὅθεν καὶ εὔνοστος, φαῦλον φασὶν ἀγαλμάτιον παρὰ τοῖς μύλωσιν, ἢ ὡς ἐν ἑτέρῳ ῥητορικῷ λεξικῷ κεῖται, εὔνοστος θεὸς ἐπιμύλιος, δοκοῦσα ἐφορᾶν τὸ μέτρον τῶν ἀλεύρων.* Nam nec testata ista significatio exemplis est, nec si quis ita *νόστον* dixisset, fecisset id sic ut ambiguitatem notionis non tolleret. Quid vero si illud *νόστου χάριν* usitato significatu recte se habet? Certe si hic Xenophantus idem ille Rhodius est, de quo scripsit

Polybius, bene videtur totum epigramma posse explicari. Is IV. 50. de brevi bello inter Rhodios et Byzantios gesto scribens sic refert: *οἱ δὲ Ῥόδιοι πληρώσαντες ναῦς ἕξ, ἅμα δὲ ταύταις παρὰ τῶν συμμάχων προςλαβόντες τέτταρας καὶ ναύαρχον προχειρισάμενοι Ξενόφαντον, ἔπλεον ἐφ' Ἑλληςπόντου δέκα ναυσίν, καὶ ταῖς μὲν λοιπαῖς ὁρμοῦντες περὶ Σηστὸν ἐκώλυον τοὺς πλέοντας εἰς τὸν Πόντον, μιᾷ δ' ἐκπλεύσας ὁ ναύαρχος κατεπείραζε τῶν Βυζαντίων, εἴ πως ἤδη μεταμέλοιντο καταπεπληγμένοι τὸν πόλεμον· τῶν δ' οὐ προςεχόντων ἀπέπλευσε, καὶ παραλαβὼν τὰς λοιπὰς ναῦς ἀπῆρε πάσαις εἰς τὴν Ῥόδον.* Rediit igitur Rhodum, quod videri potest hominis ignavi esse. At paullo post addit Polybius: *οἱ δε Ῥόδιοι θεωροῦντες τὴν τῶν Βυζαντίων ὑπόστασιν, πραγματικῶς διενοήθησαν πρὸς τὸ καθικέσθαι τῆς προθέσεως.* Ac tum narrat, quam callido consilio instituerint, ut pacem facere cogerentur Byzantii, concluditque illam narrationem c. 52. his verbis: *ὁ μὲν οὖν Ῥοδίοις καὶ Προυσίᾳ πρὸς Βυζαντίους συστὰς πόλεμος τοιαύτας ἔλαβε τὰς ἀρχὰς καὶ τὸ τέλος.* Nunc si Xenophantum illum, quod facile credi potest, consilii illius auctorem et suasorem fuisse sumimus, meruerat ille sane, ut ei propter reditum, quum prudentia potius quam vi inter cives et peregrinos agere maluisset, publice honor decerneretur. Haec si ita se habent, simul de tempore constabit quo Timocharis statuarius vixit. Sin minus, falsumque est *νόστου χάριν*, non video quid aliud quam, quod tamen aegre feram, *νοεροῦ χάριν* positum fuisse credam. Sed reliqua est alia dubitatio. Ultimi versus litterae haec praebent:

ταῦτα καὶ εὐκλείνων γράμματα Πιερίδων.

At primo *εὔκλεινος* nusquam inventum est nisi in Aristotelici pepli epigrammate 25. ubi id recte quidem expellendum iudicavit Schneidewinus in Philologi fasciculo primo p. 36. sed quam proposuit illius epigrammatis emendationem, ea admitti nullo modo potest. Videtur sic esse corrigendum:

Δηϊπύλου μορφῆς εὐειδέος Ὀρμενίοιο
μνῆμα τόδ' εὐκλεές, ὃν γείνατο Τληπόλεμος.

Deinde autem nimis inepti et stolide arrogantes fuissent illi, qui hoc epigramma inscribendum curarunt, si hosce versiculos non modo *Πιερίδων*, sed adeo *κλεινῶν Πιερίδων γράμματα* vocassent. Ea culpa non liberantur scriptura quam Rossius commendavit, quamquam litterarum quae traditae sunt formis convenientissima:

φαντὶ καὶ οἱ ταύταν νόστου χάριν εἰκόνα θέντες,
ταῦτα καὶ εὐκλειᾶ γράμματα Πιερίδων,

Pro *εὐκλειᾶ* etiam *εὐκλειῶν* scribi posse ait. At hae quoque formae non usitatae sunt, quodque gravissimum est, si sic scribitur, non est hic sermo *τοῦ* ... *τιδείων κοινοῦ*, sed aliorum, se quoque, qui hoc monumentum posuerint, cum civibus et peregrinis de laude Xenophanti consentire narrantium. Videntur utroque crimine et sermonis pugnantia inter se proferentis et stultae arrogantiae liberari posse, si quinti et sexti versus initia non recte expressa sunt: idque eo credibilius est, quod etiam, ut Rossius refert, tertius versus in apographo eadem in linea incipit, in qua totus quintus versus est. Nec sine caussa factum videtur ut *γράμματα*, et non aliud quod magis conveniat Musis positum sit vocabulum. Nam quum primum distichon eiusmodi sit, ut alicuius poetae gnomici esse videatur, coniici licebit noti tum carminis versibus usos esse cives atque amicos Xenophanti, ut hoc praeconio debitum meritis eius honorem persolverent. Id si ita est, sine impudentia et claras vocare potuerunt Pierides et recte *γράμματα* dicere, quod praeconium illud scriptum basi statuae addiderunt. Quod si hoc modo verba eorum interpretamur, pulcrum habebimus epigramma hoc modo perscriptum:

„ἐσθλοῖς οὐ κενεὰ μόχθων χάρις, ἔργα δὲ χειρῶν
γνώμας καὶ μύθων πολλὸν ἀφαυρότερα."
τοῖος Ἀγεστράτου υἱὸς ἐν ἀστοῖσιν Ξενόφαντος
καὶ ξείνοις ἀρετᾶς ἄξια πόλλ' ἔπαμεν,
ἀντίπαλ' οἳ ταύταν νόστου χάριν εἰκόνα θέντες
ταῦτ' ἄπεδον κλεινῶν γράμματα Πιερίδων.

Venio ad id, cuius caussa haec praelusimus. Ac S. R. Ordo theologorum, cui nulla tradita est dissertatio, quae propositam superiore anno quaestionem tractaret, in hunc annum iis, qui de praemio certare vellent, hoc argumentum commendavit:

Vindicetur Paulo auctori epistola ad Philippenses scripta contra Baurium negantem (Paulus Stuttg. 1845 p. 458. seqq. coll. Schwegler *Das nachapostolische Zeitalter* II. Bd. Tüb. 1846. p. 133. seqq.)

Illustri Ordini ICtorum duae redditae sunt dissertationes, quibus ostenderetur, qualis error esse debeat, qui condictioni indebiti locum faciat. Quae etsi ambae non ita probatae sunt ut plane praemio dignae iudicarentur, tamen quod laudabile studium diligentiamque proderent, constituit Ordo scriptores earum supremi rerum nostrarum Regiminis gratiae

commendare. In proximum annum disserere iubet *de foro contractus, quod dicitur.*

Gratioso Medicorum Ordini nihil est de sputorum in morbis pulmonum exploratione responsum. Nunc sperat fore qui saepius repetitis mensionibus *examinent methodos in chirurgia applicabiles, quibus quis vel circuitum, quem pars aliqua corporis humani habeat, vel distantiam eius ab alia parte metiri possit; respiciantque maxime circuitum pectoris et distantiam plantae pedis vel tali a pelvi; oportere autem secundum eam methodum, quae optima inventa fuerit, ordines mensionum contexere, ex quibus appareat, quibus finibus terminetur spatium, in quo errores observationum evitari nequeant.*

Ordinis Philosophorum classis prima, quae C. Thomae contra communem de Spinozae metaphysices interpretationem argumenta expendi voluerat, duas accepit commentationes, quarum ea, cui inscriptum erat *simplex duntaxat et unum,* etsi quibusdam in locis non satis assecuta est mentem Spinozae, tamen tam diligenter atque accurate elaborata laudabilique cum modestia conscripta est, ut Ordo non dubitaverit eam praemio dignam iudicare. Ex tessera scriptor cognitus est Henricus Adolphus Hildebrand, Lipsiensis, studiosus theologiae et philologiae. Nunc ea classis hoc argumentum de quo certetur proposuit:

Cum Leibnitius Lockii librum de intellectu humano subtili censurae subiecerit, horum philosophorum placita ita inter se comparentur et examinentur, ut appareat quatenus et quo iure tum consentire tum dissentire videantur.

Secundae classi nulla de Lessingii meritis oblata est dissertatio. Ea, quoniam hodie iam satis inter doctos constat Homeri carmina ex diversis carminibus composita esse, cupit *Odysseam pervestigari, indicarique quae partes vel inter se cohaereant, vel per se constent, vel aliis interpositae adnexaeve sint, quibusque signis atque indiciis originem suam et naturam prodant.*

Tertia classis problematis cuiusdam gnomonici solutionem hodierno statui geometriae convenientiorem quam quae a Schootenio prolata erat, postulaverat. Id tres solvere studuerunt, quorum is, qui dissertationi suae inscripsit *ars longa, vita brevis,* non solum bene se versatum in tractanda analysi esse ostendit, sed etiam ita perspicue et nitide scripsit, ut, etsi est ubi calculus elegantior demonstratioque brevior esse poterat, tamen omnino dignus praemio iudicaretur. In tessera scriptum invenimus

Henricus Beniamin Witzschel, studiosus mathematum, Ossitiensis. Eadem propemodum via incessit de reliquis duobus is, in cuius commentatione scriptum erat *audaces fortuna iuvat:* sed hic etsi in universum diligentem operam adhibuit, tamen ad quaedam non attendit, quae respicienda erant, studuitque problema solvere modo quodam, qui non ex omni parte satis fecit, sermone praeterea usus molestiore et negligentiore. Tertia commentatio, hac inscriptione insignita, *Sidera labuntur celeri coelestia motu,* varias quidem solvendi problematis vias exhibet, sed non pauca quum in ipsa rei tractatione tum in dicendi ratione levitatis documenta habet. Quare his quidem duabus dissertationibus non potuit praemium adiudicari. In proximum annum tertia classis Ordinis iubet *pugnantes inter se sententias de natura faecis, ac potissimum de differentia inter faecem superiorem et inferiorem,* exponi *observationibusque per microscopium faciendis explorari.*

Hae vobis, carissimi Commilitones, iam prostant materiae, in quibus studia vestra exercere industriamque ita probare possitis, ut proposita victoribus praemia adipiscamini. Itaque eos, qui haec certamina subire voluerint, rogamus ut scripta sua ante Calendas Septembres, una cum obsignatis schedulis nomen cuiusque scriptoris continentibus, eodemque quo scripta dicto insignitis ad Decanos Ordinum perferenda curent. Valete.

P. P. pridie Cal. Nov. a. MDCCCXLVI.